



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

20. S. Corbinianus Episcopus Frisingensis Primus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

diti nobis ipsis quasi jamjam morituris  
prælegamus *commendationem animæ*. O  
si & singulis mensibus continuarem  
industriam, plurimis jam summè profi-  
cuam! Fiat! Fiat! Audiemus in præ-  
mium pietatis: *Venite Benedicti!*

**Festum S. Corbiniani Episcopi  
& totius Dioeceseos Frisingensis Patroni,  
& Thaumaturgi miraculis clari.**

**EXHORTATIUNCULA I.**

**S.** Corbinianus jam à prima ætate illud  
Ecclesiastici mente imbiberat altà:  
*Fili! quanto magnus es, humilia te in  
omnibus.* Potentia enim Dei à solis ho-  
noratur humilibus. Et de nobis quan-  
ta mi fili! præsumimus? Ah! *quis ut  
Deus?* Miser est homo! Sibi nec digiti  
mensuram, nec vitæ momentum, nec  
mento pilum adjicere potest, utut velit.  
Quidquid potest, exiguum, nec magnâ  
curâ dignum est. Fidamus illi, qui sem-  
per idem, ubique potens, nos in singu-  
lis juvare potest.

*Instructio meritoria.*

**Humilitas eluceſcat ex omnibus sen-  
sibus,**

fibus, membris, & actionibus nostris. Ideò ubi stamus, oramus, & ambulamus, semper inclinato capite, & oculis quàm modestissimìs nostrum ædificemus proximum, *ter* recitandò cum Magistra Christianæ submissionis & modestiæ, seu humili Maria: *Magnificat anima mea Dominum.* Dominus hic solus est! humilietur capita!

## II.

**M**iremur zelum & Christi spiritum in S. Corbiniano. Grimoaldo Baviaræ Duci potentissimo, uxorem fratris in conjugem assumenti identidem ingeminabat: *Non licet.* O felix anima! Cui respectus non dominatur hominum. Certè in hac sola regnum est Dei. Quale in nobis? O nos favorum humanorum nimis avidos! Mortalium favori quisquis fidit, innititur arundini. Stat equidem; ac proximo levioris ventis impulsu ruet instabilis. Verba dant mellea! Rarò tamen vera.

*Instructio meritoria.*

Dum inordinati appetitus, desideria frivola, cupiditates infrunitæ impugnant nos,

nos,

nos, quantocyus utamur S. Corbiniani  
tessera: *Non licet. Deum colo, & ipse  
soli servio.* Pro impetranda hac liber-  
tate regiâ addamus S. Ignatii orationem:  
*O Deus! ego amo te; nam prior tu am-  
asti me cum psalmo: Ad Dominum cum  
tribularer, clamavi.* Abjecti animi  
ad omnem adversitatis, vel tentationis  
ventum trepidant.

## III.

**Q**uidquid hic Dei famulus S. Cor-  
binianus aggreditur vel pro Dei ho-  
nore, aut proximi, & ecclesiæ uti-  
litate, id ipsum flexis genibus omnipo-  
tentia, sapientia, & Bonitati Divina  
ferventissime commendabat. Hinc  
tanta prodigia. En! causam, quod  
nostri successus tam multi infelices. No-  
bis confidimus: Deum verò negligimus,  
contempnimus. Sed quid hinc nobis, O  
fili! Xaverius Magnus? Ita in omnibus  
ait fidendum Deo, ac si solus omnia sine  
nobis optatum ad finem deducturus sit;  
eam tamen jungamus industriam, qua  
si res tota nobis sine Deo peragenda in-  
cumberet.

*Instructio meritoria.*

O insignem nostra gloriose auspican-  
di negotia doctrinam, ac methodum!  
Imitemur, & quaecunque nobis tractan-  
da, nunquam inchoemus nisi invocato  
antea auxiliò divinò, quod *vel tribus*  
*ave, & totidem Gloria Patri &c.* Auc-  
hymno: *Veni Creator Spiritus.* Com-  
modè fieri potest. Ad magna requiri-  
tur Excelsi dextera.

Festum S. Felicis de Valois Or-  
dinis sub titulo SSS. Trinitatis pro-  
pagatoris zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**O** Nobilem parvulum! Infantulus  
adhuc manu propriâ nummos di-  
stribuit egenis, & ex appositis in mensa  
dapibus eos recreavit. Dilecte! quis  
sensus noster, si & à parvulis superamur  
in charitate, & abstinentia? *Gratis mi-*  
*sericordiam sperat, qui misericordiam*  
*non fecerit.* Chrysostr. *Nunquam va-*  
*cua est manus à munere, si arca cordis*  
*repleta bona voluntate.* Hanc dedit  
Deus: cur adeò otiosa?

Ee

In-